

Henricus, Dei gratie Traiectensis episcopus, universis presentem litteram inspecturis salutem in Domino sempiternam. Presenti scripto recognoscimus et protestamur, quo Ludolfus de Ultra Vech, miles, Mabilia, uxor eius, et Hermannus filius eorundem comparuerunt personaliter coram nobis et fructus decimarum tam maiorum, quam minutarum, sitarum in parrochia. de Wercunde, ultra Novum Aggerem, in occidentali parte aqueductus, quam (sc. decimam) dicta Mabilia in feudum tenet a nobis, et preterea decimam sive fructus decimarum sitarum inter domum ipsius Ludolfi de Ultra Vech et terram abbatisse et conventus monasterij sanctimonialium in Aldwica, tam maiorem, quam minorem, que **protenditur a flumine Vech usque ad terram Veni, quam (sc. decimam) idem Ludolfus in feudum tenet a nobis et ab ecclesia Traiectensi**, mutua voluntate et expresso assensu viris religiosis commendatori et fratribus domus Theutonice Traiectensis, nostro etiam consensu adhibito, pro quinquaginta libris Traiectensium denariorum legalium numerate pecunie concorditer obligarunt, et videlicet conditione interposita quod, quandocumque dicti Ludolfus aut uxor sua. aut quisquam heredum aut successorum suorum legitimorum quinquaginta libras Traiectensium denariorum legalium restituerint commendatori et fratribus supradictis in parata pecunia, extunc dicte decime seu fructus earundem ad ipsos libere et sine contradictione aliqua devolventur, nec ante solutionem dicte totalis summe, videlicet quinquaginta librarum exhibendarum et persolvendarum semper in festo cathedre beati Petri, dictos commendatorem et fratres idem Ludolfus, Mabilia, uxor sua, aut quisquam successorum suorum super dictis decimis seu earum fructibus poterunt molestare.

Renuntiaverunt etiam omni actioni usurarie aut cuicumque alii, que possent eis forsan eompetere contra ipsos commendatorem et fratres contra. obligationem et conditiones prescriptas.

Acta sunt hec presentibus Suedero marscalco nostro, Thoma de Cattenbruch, Luf de Judifas, militibus, et Christiano dicto Jole et aliis quampluribus fidelibus nostris. In cuius rei testimonium presentam litteram sigillo nostro episcopali fecimus communiri. Datum et actum Traiecti, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, feria secunda post diem epiphanie Domini .